

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

phetas, de filio hominis &c. ut hinc agnoscamus, quanto nos pretio, ab Ethnicorum hęc turpitudine redemerit, nempe non temporali auro & argento: sed sanctissimā sui sanguinis profusione & morte, si de potestate tenebrarum liberandi in regnum lucis transferri debuimus. Col. 1. v. 13.

Nos ad ipsum Evangelium accingemus nos, & discemus pro instituti ratione, ex eodem:

I. *Ἀνθροπολογία*, sive *notitiam nostri*.

II. *Χριστογνωσία*, sive *notitiam Christi*.

J. J.

Exegesis.

Quando sanctus Patriarcha Jacobus scalam in somnis videt, stantem super terram, & cacumine cælum tangentem, Gen. 28. v. 12. per eam summum unionis personalis naturarum mysterium in Christo adumbratur, quod nimirum verus homo, & simul Deus Jehova sit, 2. Sam. 7. v. 20.

Has duas naturas in diebus carnis suę opere ipso luculenter demonstravit: humanitatem, in passione & morte; nisi enim verus homo esset, quomodo pati & mori potuisset? Quin imò ideò veram humanam naturam in unitatem personę assumpsit, ut in ea pro genere humano pati & mori, & morte suā vitam & incorruptionem illuminare potuerit, 2. Tim. 1. 10. sine sanguinis enim effusione, non fit remissio, Heb. 9. 22. Divinitatem verò in miraculis, Joh. 3. 2 Joh. 5. 36.

Utriusq; testimonium in Evangelio habemus, in quo Christus & de passione, & morte sua vaticinatur, & simul virtute sua divina cæco visum restituit. Hoc opus erat Messię venturi, Esa. 35. v. 5.

Notitiam nostri hic discere possumus, quando perpendimus:

I. *Christi ascensionem*. Assumptis enim

duodecim dixit: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quę scripta sunt per Prophetas de filio hominis &c.

Hoc ascendere nostro descendere opponitur, ita, ut juxta quorundam placitum, eo loco, ubi postea Hierosolyma constructa est, antè terrenus Paradisus fuerit, ibiq; alter Adamus, ceu eodem illo loco, pati, & passione victoriam obtinere, ubi prior Adā victoriā & felicitate exciderat, voluerit: quò nobis veram *Quinquagesimam*, ut olim Dominica hęc appellata fuit, sive beatum anni Jubileum adduceret: plenissimā scilicet omnium cœlestium thesaurorū restitutionem, quorum Protoplasti in se & posteris suis vetiti pomi comestione jacturam fecerant, sicuti Israëlitę in V. T. tempore anni Jubilæi sua bona, sive oppignorata, sive divendita recuperare poterant. Levit. 25. v. 13.

Hic examine, mi Christiane! antequam ad Christum in cruce sequendum paratus semper fueris, & crucem tibi ab eo immissam, patienter tuleris?

Discipuli Christi, falsā terreni regni Christi imaginatione fascinati, inviti cum Christo Hierosolymam ascendebant, unde Petrus id ipsum dissuadet, Matth. 16. 22.

Neq; nos libenter cum Christo crucem subimus. Sed Christianus crucianus, 2. Tim. 2. v. 11. Quare prompti & alacres simus ad illā ferendam. Quando igitur filii hujus sæculi Dionysia celebrant, in omnibus voluptatū carnalium generibus sese volutantes, nos cum Christo Hierosolymam ascendamus, perpendentes, quid ibi sustinuerit, & passus fuerit. Omnia quippe in emolumentum nostri facta sunt, ut firmissimum in omnibus calamitatibus habeamus solacium.

Nos miseri homunciones sub potestate tenebrarum eramus. Col. 1. v. 13. Heb. 2. 15.

Sed Christus Servator peregrino se magistratui, Pontio Pilato subjecit, ut merito ejus hæreditatem apud Patrem cœlestem consequeremur. Jam lætabundi jubulare possumus ex Col. 1. v. 12. Si ergo filius nos liberavit, verè liberi sumus, Joh. 8. v. 36.

Sic illusus, contumeliis affectus, & consputus est, ut gloriam nobis acquireret, qui aliàs à Diabolis illudi, & omni carni abominatio esse debuissimus, Esa. 66. v. ult.

Flagellis cæsus est, ut livore ejus sanaremur. Esa. 53. v. 5.

Occisus est, ut vitam haberemus, & abundantius haberemus, Joh. 10. v. 11.

Sepultus quoq; est, ut sepulchra nostra sanctificaret, & resurrectionem, imò claritatem corporum nostrorum nobis impetraret, 1. Cor. 15. v. 42. 43.

Sic Christus ut fortis præruptor nobis viam stravit, & in omnibus tentatus est sicut nos quoq; Heb. 4. v. 16. hinc potis est nobis, qui tentamur, auxiliari, Heb. 2. v. ult. Per patientiam igitur curramus, in proposito nobis certamine, adspicientes in ducem fidei, Heb. 12. 2. sicut enim ipse per passionē & mortem in gloriam intravit, Luc. 24. 26. sic non dabit in æternum fluctuationem iusto, Pl. 55. 23. sed ex lacrymarum hac valle transferet in cœlestem gloriam. Pl. 84. v. 11.

Quapropter genuini illi Christiani non sunt, qui semper in delitiis agere volunt, in hoc mundo, & Christum sequuntur, quando nuptiis interest, Joh. 2. v. 2. aut panes distribuit, Joh. 6. 11. Sed ad crucem vocantem, Marc. 8. 34. relinquunt Joh. 6. 6. Ideò sæpe fit, ut castigatione ejus paternâ indigni reputentur, & reserventur, quasi oves ad mactandum, Jer. 12. 33. *Nemo enim gaudere potest, in utroque seculo, juxta Augustinum: sed qui cum divite hîc gaudet, eum quoque*

cum eodem in inferno torqueri oportet.

II. *Predictam crucifixionem.* Nam filium hominis quoq; occident, h. e. ut Mattheus recenset, crucifigent eum. Hoc erat genus mortis crudelissimum, ut Cicero autumat, imò, maledictio Dei est, qui pendet in ligno, Deut. 21. v. 23.

Sed quàm ignominiosa & dolorosa mors hæc Christo fuit, tam lætabilis & solatio plena nobis est, ideò enim pro nobis maledictum factus est, ut nos à maledictione legis redimeret, Gal. 3. v. 13.

Crudelissimè milites Christum tractarunt, dum eum vestibus nudatum, manibus pedibusq; cruci affixerunt, ut inter cœlum terramq; medius ipse pependit. Imò prorsus nefandum est, quod inter maledictos ipsum suspenderunt, eum nebulonem sceleratissimum, Esa. 53. v. 11.

Hic examina te, mi Christiane, annon & ipse Christum nonnunquam crucifixeris, & adhuc crucifigas peccatis voluntariis?

Hoc multifariam fieri solet.

1. *Per Apostasiam.* De hac intelligendum est, quod Paulus ait, Hebr. 6. v. 4. Equidem Servator noster corporaliter non amplius crucifigi potest, Rom. 6. v. 9. interim maximo afficitur dolore, quando ii, qui veritatem semel agnoverunt, ipsam abnegant, & resiliunt in regnum satanæ, ex quo ipsos sanguine suo redemit, 1. Cor. 6. v. 10. Ideò sanè queri potest ex Esa. 1. v. 3. 4.

2. *Per blasphemiam,* quæ fermè in hac mundi fece peccatum non amplius habetur. Sed non minus peccant, qui blasphemant regnantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris, ut Tertullianus graviter ait. Judæi enim pro nudo homine eum habuerant, unde fabrum ipsum vocant, Marc. 6. v. 3. Nos verò Christiani scimus, quod

quod non sit merus homo, sed Deus super omnia benedictus in secula, Rom. 9. 5. & tamen sacramenta, sanguinem & vulnera ejus in abusum trahimus, & iisdē proxima omnia mala imprecamur. Hęc loquela est obnoxia morti, non inveniatur in hęreditate Jacob, Sir. 23. v. 15.

3. *Per vitam impiam.* Sicuti enim peccata nostra Christo mortem crucis dolorosam caufarunt, ut ipse queritur, Esa. 43. v. 24. sic quoq; adhuc hodie cor ejus peccatis voluntariis qs. transfoditur; præprimis hoc fit ab iis, qui ethnico more, & diabolico furore Bacchi impia festa hoc tempore celebrant, & larvati crapulā & ebrietate, fœdis libidinibus, stupris, & aliis horrendis sceleribus se contaminant, ubi potius passionem & mortem ejus considerare debebant.

O homines nefandi! qui detestabili vestro gaudio sanctissimum hoc tempus profanatis, mementote, quomodo Christus in horto Oliveti cœperit tristari, contremiscere & mœstus esse, Matth. 26. v. 37.

Vos noctambulones, reputate quam miseram Christum noctem duxerit, ubi ab uno injusto judice ad alterum abductus est.

Vos belluones, qui potentes estis ad bibendum vinum, Esa. 5. 22. Recordamini sitis Christi, ubi in ara crucis felle & aceto potatus est.

Vos larvati, qui contra mandatum Dei alienis vestibus inceditis, Deut. 22. 8. cogitate chlamydem coccineā, & vœstē albam, quā Christus indutus est, Matth. 27. 19. Luc. 23. 11.

Vos lusores reminiscimini militum, qui de tunica Christi fortiti sunt, Joh. 19. v. 24.

Sic memoria crucifixi crucifigat in nobis omne vitium, ut Bernhardus monet. Qui enim sunt Christi, crucifixerunt carnem suā, cum affectibus & concupiscentiis, Gal. 5. v.

24. Ad hoc urget nos caritas Christi, 2. Cor. 5. v. 14.

III. *Cæci adductionem,* simulac enim hic cæcus Christo adducitur, visum suum recuperat. Quō ipsō Christus probare voluit, licet passionem & mortem nostri causā subiturus esset, non se idē infirmiore fore: sed potius in morte quoq; virtutem suam exerturum esse, & oculos nostros illuminaturum, ne obdormiamus in morte, Psal. 13. v. 4. sed surgamus de somno peccatorum, Rom. 13. v. 11. & videamus bona Domini, in terra viventium, Psalm. 27 v. 13.

Hic examine te, mi Christiane! annon etiā ejusmodi cæcus Bartimæus sis, qui multa non videas, quæ tamen videre, & cavere debebas?

Cæcus multis modis miser est, ein blind Mann/ein arm Mann. Tob. 5. v. 12. Sed multo miserior est, qui spiritualiter cæcus est. Tales naturā omnes sumus, ut verē de nobis dici queat illud Prophetæ: Palpavimus sicut cæci, Esa. 59. v. 10. Et quamvis Christus ut vera lux venerit, illuminans (quantum in se est) omnes homines venientes in hunc mundum, Joh. 1. v. 9. attamen multi sunt, qui seipos quasi excecant, & oculos mentis obnubilant. Neque enim videre volunt:

1. *Internam corruptionem.* Tales sunt, qui conciones legis ferre nequeunt, & quamvis peccata eorum in propatulo sint, tamen colorare ea satagunt. De his dicit Salomo: Generatio, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis, Prov. 13. v. 12. Dicunt, se divites esse, & locupletatos, & nullius egere, & tamen sunt miseri & miserabiles, & pauperes, & cæci & nudi, Apoc. 3. v. 17. putant se aliquid esse, cum nihil sint, Gal. 6. v. 3. Sic φιλανθρία homines cæcare potest, ut seipos non agnoscant.

2. *externam seductionem*, quam Diabolus procurat, quæ fit

1. *peccata colorando*. Hinc est, ut quem admodum Sebul, umbras montium pro viris habebat: Jud. 9. v. 36. ita nos ob innatam cæcitatem umbram pro veritate, & maxima crimina pro virtutibus reputemus, & malum manuum nostrarum dicamus bonum, Mich. 7. v. 3.

2. *maxima extenuando*. Sicut Pharisei præcepta Dei in majora & minora diviserant, Matth. 5. v. 19.

Sic multi sunt, qui scortationem tantummodò pro ludo, & oblectamento juventutis reputent, ut ille apud Comicum ait: *Num flagitium putas adolescentem scortari*, cum tamen nullus fornicator & immundus partem habeat in regno Dei & Christi, Eph. 5. vers. 5.

Sic multi inter ebrietatem & ebriositatem, ut inter infernum & purgatorium discrimen statuunt.

Sed *minuta etiam peccata, si negligantur, occidunt*, Augustino dicente.

Cùm Lothus Sodomiis egressus esset, existimabat, se planè in vado esse: sed in hac securitate circumventus est à Dæmone, ut incestum cum filiabus suis commiserit, Gen. 19. 33. Sic nos in securitate degentes, eò faciliùs à satana sedueimur. Propterea observemus illud Salomonis: *Beatus, qui semper est pavidus, at qui indurat cor suum, conuertet in malum*. Prov. 28. v. 14.

3. *Continuationem sollicitando*. Ubi anguis cum capite pertransit, facilè totum corpus sequitur: Sic si Diabolo in minimis obsequimur, ab iniquitate ad iniquitatem nos trahit, Rom. 6. v. 19. tandem in barathrù infernale præcipitat, Apoc. 21. v. 8.

Hoc si justà animi lance perpendimus,

nos quoq; cum Bartimæo oculis captos esse, deprehendemus, at non oculis corporis, sed mentis, non percipientes ea, quæ sunt Spiritûs Dei, 1. Cor. 2. v. 24. Ideò assidue oremus cum Davide: *Revela Domine oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*, Pl. 119. v. 18. is enim illuminatos oculos cordis nostri dare potest, Eph. 1. 18. & corda nostra aperire, ut Lydiæ cor, Act. 16. 14. ut attendamus verbo Prophetico, 2. Pet. 1. 9. & indies crescamus in cognitione Dei, Col. 1. v. 11. usq; dum ad perfectionem adspiremus per speciem non per fidem ambulantes, 2. Cor. 5. v. 7. coram Domino in terra vivorum, Pl. 116. v. 9.

De Secundo.

Pergemus nunc ad alterâ partem, *revelatam*, sive *notitiam Christi* contemplaturi. Hic nobis in hoc Evangelio proponitur

1. *Tanquam agnus immolandus*. Ecce inquit Servator, ascendimus Hierosolyman, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas, de filio hominis.

In V. T. Judæi varia sacrificia habuerunt, quorum tamen nullum peccata expiare potuit, sed typi duntaxat fuerunt, Christi immolandi, qui unâ oblatione confirmavit in sempiternum eos, qui sanctificantur, Hebr. 10. v. 14.

Hoc summum opus inchoavit in hoc Evangelio, ubi cum Apostolis Hierosolyman ascendit, haud ignarus, quid ibidem sibi obventurum sit. Et qui nesciret? Ipse siquidem consilio divino de redemptione generis humani interfuit, Act. 4. v. 27. 28. Propterea ait: *Ecce venio*, Psalm. 40. v. 9.

Ex hoc amorem ejus ardentissimum erga nos cognoscere possumus, de quo Bernhard.

O De-